

Prof. Lips. qui labor successu temporis futuro Ecclesiæ ministro non exiguam utilitatem præstabit.

## CAP. V.

*De futuri Ecclesiæ ministri studio  
homiletico, ut & Histor. Ecclesiastica.*

## §. 1.

**Q**uod studium homileticum attinet, mature illud inchoare debet futurus Ecclesiæ minister, ut certior sit, an etiam aptus ad sacrum ministerium videatur. Sæpe enim vitium naturæ alicui adhæret, quod eum reddit ineptum ad concionandum.

§. 2. Hoc tamen nolim intelligi de nimia timiditate, quæ sæpius juniores vexare solet, ut abhorreant à studio concionandi. Contra hanc timiditatem pugnandum est seriis & ardentibus precibus ad Deum.

§. 3. In studio autem homiletico in genere ad tria potissimum respiciendum est: (1.) ut textus recte disponatur: (2.) Ut orthodoxe textus explicetur: (3.) Ut usus è textu eruantur, quæ ad ædificationem auditorum faciant, & vim eos movendi habeant. Ad primum horum utilitatem præstat Methodologia homiletica Seb. Gœbelii, Abb. Berg. Secundum, nempe orthodoxa explicatio hauriri potest ex uno vel altero commentario, cujusmodi c. 3. adducti fuerunt. Ad tertium, quod primarium est, obtinendum, legendi sunt Auctores, qui de exercenda vera pietate scripserunt, cujusmodi sunt ex nostratibus B. Arndius vom wahren Christenthum / Postilla in Evangelia & Psalms. Gerhardi praxis pietatis.

D

Scri-